

Godofredo Guilielmo Leibnitio.

Clara ter salve, rutilante caelo
Ac diu spissis tenebris fugatis,
Lipsiae tandem generata laeti
Filia Phoebi,
Quae tuis lustras facibus nitentem
Frondebis festis variisque sertis
Semitam, quacumque redux triumphat
Splendidus exsul,

Altero post fata suis renascens
Civibus saeclo, velut inter Indos
Saepe combusto redivivus olim
Corpore Phoenix.

Eia, vis numquam perit illa mentis,
Qua vicens caelo rapuit Prometheus
Flammeos ignes hominesque iussit
Pellere frigus;

Qua refulgentes docuere quondam
Castor et Pollux genus omne nostrum
Aeolum pontique deos et ipsum
Vincere pontum.

Vivit aeternum speciesque sumit
Mille mens, quandoque diu quievit,
En, ut e nigra latitans favilla
Emicat ignis;

Alter Euphorbus clipeo reflexo
Testis est, migrare animas, vicesque
Corporum in terris variare, et esse

Semper easdem.
Sic redis vita sapiens novata,
Leibniti, Musis operatus usque,
Lipsiam doctique chori capessis

Regna choragus,
Circulo insignis radio et cylindro,
Quos Tuus quondam populus repostos
Sprevit, at nunc doctus aranearum

Tegmine purgat,
Lactus aspectu melioris aevi
Et Tuo magno Genio litantis,
Atque discordes sociare gentes
Mente laborans.

Sospitatoris meritis coronam,
Archimedeae superabis artis
Gloriam, certae laribus relato
Munere pacis.

D. I. m. Iulii a. MDCCCXLVI.

Nobbe.

Praedictis iam superiore programme nostro in diem mensis Iunii fastorum novorum ordine *vigesimum primum* Leibnitii nataliciis, metus coortus est, ne, quum inclyta litterarum Universitas nostra luendo, quod maiores contraxere, piaculo intenta praeclaraeque memoriae virum non modo laudationibus oratoriis, sed etiam condendae ex eius voto apud nos Academiae statuacque sumptibus communibus ponendae honoribus cumulare connitens, nihil fere nobis reliqui faciat, in tot tantisque caerimoniis universitatis splendore praefulgentibus deficerent, qui in scholae umbram nundinatum venirent. Itaque quum nec profestus ille dies aut eius diei praesertim dominici bona hora superesset, a Lipsiensibus autem, Hannoveranis et Berolinensibus ipsum natalicium diversorum delectu dierum *novendiale**) institueretur, denuo circumspiciendum erat, quo tempore et modo tirocinii scholastici apud praedecessores illius temporis nostros positi recordatione tantum heroem commode et digne concelebraremus.

Ac de tempore quidem vel die natali celebrando non tam propterea potest ambigi, quod, ut fama hactenus obtinuit, sit in utriusque aedis parochialis, et Nicolaitanae et Thomanae de eius baptismo silentium, aut quod incertum videatur, sitne Leibnitius secundum Eccardum ipso baptismatis die, an iam biduo ante natus, quam utrum antiquo Iulianorum fastorum, an Gregorianorum, ac rursus Gregorianorum septimi decimi, an huius ipsius saeculi XIX. ordine dies natalis mensis Iulii I. aut III. solenniter peragendus. Superiore autem programme Leibnitium, cuius pater muneris caussa in Maioris Principum

*) Ab amicis Lipsiensibus audiveram de obeundis Lipsiae Kalendis Iuliis, ab amico Hannoverano quodam per litteras nuntium accepi de die postero cogitari, atque a Berolinensi suae Academiae socio de die eiusdem mensis *nono*.

Collegii aedibus habitasse putandus esset, in templo Nicolaitano baptizatum mihi videri significaveram, quum amicus quidam isque magnae vir dignitatis auctor exstitit, ut, quod pro eo, ac fama ferret, illum in socrus suae domo, quae in vico Petrino sita ad circulum Thomanum pertinet, natum esse dictitabat, civitatis annales senatorios itemque aedis Thomanae sacros adirem. At frustra. Quare coniecturam meam, cui iam valedixeram, rursus amplexus et fastos Nicolaitanos inspiciendi potestatem nactus, non satis potui mirari novem modo baptismata anni MDCXLVI. mense Iunio consignata, nec ullum die XXIII. notatum esse, Leibnitium vero, quem quisque baptizatum crederet, non in Christianorum censum esse relatum videri. Idem aliis acciderat. Hinc illi rumores, eum in vico propinquo Eutritzschio aut Probstheyda natum et aquis sacris esse initiatum haud sane per se fide digni, quod, urbe nostra tum a Suecis occupata, non admodum tuta fuerit rusticatio praesertim puerperae. Obstabat vero etiam patris auctoritas eiusque morum doctrinae professoris, cuius testimonium Freiesleben bibliothecae Friedensteinae custos, idemque, si recte coniicio, Friderici Leibnitii ex Anna Rosina nepos, forte fortuna nobis servavit, (vid. Diarn. Goth. Litt. anni 1774. p. 218. et Murr. Diar. VII. p. 131. cf. Guhrauer in Vit. Leibnitii Tom. I. Annot. p. 3.) Fridericus vero Leibnitius: „21. Juny“, inquit, „am Sonntag 1646. Ist mein Sohn Gottfried Wilhelm post sextam vespertinam $\frac{3}{4}$ vff 7 vhr abents zur Welt geboren, im Wassermann. 23. Juny 1646. in vigilia D. Iohannis hora post 2 baptizatus est filius meus. In cuius baptismatis actu cum teneretur manibus diaconi Dr. M. Danielis Molleri, et baptizaretur filius, hic sursum crexit caput sursumque elevatis oculis et capite, quod mirabantur adstantes, permisit libenter aqua perfundi. Id quod specimen fidei et omen ut sit quam optimum exopto et auguror, nempe ut per totum vitae tempus elevatis ad Deum oculis totus divinus sit, inque Dei amore ardeat, itaque *Θαύματα ἁγιοθαύματα* operetur, quae in honorem Altissimi et salutem et incrementum Ecclesiae Christianae, ipsiusque et nostrorum salutem cedant. Ita faxit Alma Trinitas per Christum Amen.“

Ex hoc patris testimonio haec duo potissimum licet cognoscere, tum quo sidere et die filius sit in lucem editus, tum in utrius de duobus, quos dixi, parochis circulo baptizatus sit. Ut de sacerdoti ditione, quod paucis defungi posse mihi videor, prius dicam, ille sacerdos Daniel Moller idem videtur esse, qui apud Vogelium in Annall. Lips. p. 606. M. Daniel Müller, aedis Nicolaitanae inde ab anno 1643. diaconus, antea scholae Nicolaitanae Conrector, postea pluribus in eadem aede officiis etiam maioribus admissus. Ex quo credibile esset, si non in ea domo, de qua superiore anno dixi, saltem in illa urbis regione, quae ad aedem Nicolaitanam adiacet, Leibnitium esse natum.

His iam scriptis, praeter expectationem in templi Nicolaitani baptismatum Annalibus Tom. XV. Fol. 769. repertum est testimonium, quo coniectura mea satis confirmatur: „*Den 23. Juny 1646. hat Herr Mag. Friedrich Leibnütz, Profess. Moral. alhier, einen mit seiner Ehegattin, Frau Catharina geb. Schmuckin erzeugten Sohn in hiesiger Nicolaikirche taufen und Gottfried Wilhelm nennen lassen etc.*“ Ita vero, quod hic de die natali nihil perscriptum est, accidisse videtur, ut Eccardus natalem cum baptismatis die confunderet. Iam sequitur, ut de celebrando die natali, quod res ipsa flagitat, dicendum videatur.

Germani eo tempore, quo Leibnitius noster natus est, menses diesque more in fastis Iuliana ratione recepto numerabant, quo etiam nunc Graeci ac Russi utuntur. Quamquam fasti Gregorii XIII. iussu iam a. 1582. de Lili, Calvii, Dantii sententia emendati in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, anno postero in Helvetia et Belgico, et paucis annis post in Polonia et Hungaria invaluerant, in Germania tamen anno demum saeculi septimi decimi penultimo, in Britannia et Suecia primum medio superiore saeculo correctiores sunt recepti. Itaque vigesimus primus ille, qui a Leibnitio patre notatur, mensis Iulii dies Iuliani est ordinis, aerae autem Gregorianae tum temporis id est saeculo XVII. mensis Iulii *primus*, saeculo XVIII. *secundus*, hoc nostro saeculo XIX. *tertius*, ac futuro *quartus*. Itaque Gregorianam fastorum emendationem sequentibus quovis saeculo per vices alius dies Leibnitii natalis cele-

brandus esset, haud secus, ac quo sidere natus esset, astronomorum more quaerentibus nunc temporis secundo *Iulii* die pervigilium noctis indicendum esset. Quare historicorum lege ea temporis ratio tenenda est, quae tum erat in usu, quum Leibnitius natus est, nec numerus propter doctrinam emendatricem ambulatorius admittendus videtur. Sic v. c. nos evangelici symboli Christiani quotannis Octobris diem XXXI. celebramus, non quod nesciamus fastorum emendatorum causa Novembris diem XII. hoc saeculo peragendum esse, sed ne historicorum chronologiam solius in astronomiae gratiam mutabilem efficiamus. Iam quum dies Leibnitii natalis duo abhinc saecula Iuliano calculo Iunii dies XXI. ab aliis Christianis, ab aliis iam Gregoriano Iulii dies I. numeratus sit, non est, cur, quum, ut dixi, auditorum causa a die Iunii XXI. decedendum sit, etiam salva historia Iulii Kalendae in scholae nostrae fastis albo calculo notentur pieque concelebrentur.

Hoc loco non possum, quin pauca et de nomine Leibnitii, de quo nuper apud nos Lipsiae mota lis est, et de sigillo, de quo nonnulli pene incredibilia videntur tradere, in transitu memorem. Ac nomen quidem gentis Leibnitiae sacrorum S. Thomae Annalium testimonio mirum in modum variatur: Leibnütz, Leibnitz, Leubnitz, item in scriptis Universitatis Lipsiensis exsequialibus (cf. Guhraurer T. I. Annot. p. s.) patris nomen Leibnitz, matris Leibnütz, atque Exc. Stallbaumio teste in actis publicis, Friderici Leibnitz, Collegae III. nomen apud Thomanos effertur. Quid, quod ipse G. G. Leibniz, dum inde ab anno 1668, Mogontiaci versatur ut cl. C. L. Grodefendius e reliquiis bibliothecae Hannoviensis Leibnitianis mihi per litteras significavit, Leibnüz, postea vero, ut etiam ex epistolis, quas urbis nostrae bibliotheca senatoria possidet, luculenter apparet, Leibniz solet scribere, Latinis subscribit Leibnitius. Raro addit nobilitatis notam, quam quando adeptus sit, non magis liquet, quam quando sit baronis honoribus ornatus. Primum illius vestigium Guhraurer ex anno 1693 repetit, biennio ante a Iosepho coronato nobilitatum suspiciens. Zedler autem in Thes. XVI, 1517, Brucker et Guhraurer in Vita eodem sigillo eum usum esse referunt, quo patris patrum, tribunum

militum Austriae. Quod quo iure dicant, nescio. Vir autem harum rerum notitia maxime instructus B. de Lindenthal, a me interrogatus, quo est animo promptissimo, ipse mihi Tyroff. Norimb. Heraldici Supplement. Tom. IX. obtulit, cuius Tab. 261. sigillum Domini de Leubniz, superne casside tribus ardeae pinnis cristata lunaeque principio tribus stellis imminente ornatum, repraesentat, idque illius esse asseruit, Gauchio Lex. T. I. p. 891. et Medingio Herald. III, 398. Nr. 484. auctoribus citatis. Haud incredibile est autem, etiam G. G. Leibnitio hoc in usu fuisse, antequam baronis coronam, ut ferunt, anno 1711. adipisceretur. Diplomata quidem nec hic, nec Hannoveriae exstant. Omnes autem, quae Lipsiae asservantur, Leibnitii epistolae illud prae se ferunt sigillum, aliae maiusculum, aliae minusculum, utrumque vero quadratum, binos ex adverso leones totidemque racemos, ac desuper impendentem illam coronam referens. Utrumque est autem in ea, quam Bachius noster lapidi incidit, tabula. Grodefendius autem in Leibnitianarum scriptionum hereto Hannoveriensi haud sane multa esse sigillorum vestigia ac posse esse mihi scripsit, lunaris autem illius omnino nullum. Contra esse ait, quod nonnisi siglas habeat trium Leibnitii nominum principales inter se complicatas. Haec hactenus. Superest, ut de Leibnitiani nominis hodie apud nos concelebrandi modo, quae videantur, explicem.

Quandoquidem enim, ut dixi, Universitas nostra, quae olim aeque ac patria Leibnitii neque votis iuvenilibus, neque senilibus consiliis satisfacere aut voluit, aut potuit, eius manibus multiplices inferiorum honores oblatura, Hannoveriae exemplo statuam collocare, Academiam Berolinensis aut Petropolitanae similem condere, et qualem olim in Parisiensi Academia Fontenelle habuit, panegyricum hodie dicere instituit: quidquid nos molimur, iuxta illa sacra piacularia tenue hoc natalicium et levidense videatur necesse est, quod haud scio an a sola pietate excusari vel laudari queat. Ac primo quidem pietatis esse ducebam has Leibnitii epistolas edidisse, quamquam pene de sola illa machina arithmetica scriptas, eaque ne perfecta quidem relicta, quae non verendum erat, ne in arithmeticae artis contemptum excogitata existimaretur, sed ne Pascaliano

quidem opere non multo praestantior, ac Babbagiano *) nostri temporis invento ingente ad infinitum usque calculum pertinente tenuior esse videretur, quam pro reliqua existimatione summi viri. Nam his epistolis ipse satis superque monstrat, se ab ea, cuius saepe arguatur, avaritia alienissimum esse, nec ullis artium bonarum causa parcere sumptibus, quibus ne certo quidem confidit se complurium annorum experimentis effecturum esse, ut inceptum bene et feliciter exeat. Quemadmodum autem integri incorruptique animi, ita sinceri etiam litterarum studii documentum in illis manifesto deposuit. Nam non tam gloriae aucupandae causa per totos sex deinceps annos mechanico cuidam sumptuosam machinae illius affabre conficiendae periculum imposuit, quam Besslerum, sumpto nomine Orffyre notum, ut Dux Saxoniae Cizensis opibus sublevaret, omni modo operam dedit, quamquam nec sibi eum auxilio fore, nec posse perpetuum mobile efficere speraret, sed quod Orffyreanum experimentum, etsi irritum foret, tamen aliquam tandem litteris et artibus utilitatem allaturum esse confideret. Nihil enim litterarum causa tentari existimabat, ex quo non aliquis saltem, quamquam inexpectatus, at opinione saepe maior, fructus posset percipi. Nec temeritatis aut perfidiae accusari debuit, quod quam rem in Gallia bene inceptam videret, perfectiorem reddere et ad vitae usum accommodare tam diu niteretur, neque ipse eam efficiendam sibi desumeret, sed amico moderandam relinqueret, quem nec induceret, suo ut nomine ageret, et honoribus cumulandum curaret. Praeterea duo viri docti, ut epistolas libentius edere pergerem, prompto auxilio effecere, coniunctissimus collega, qui huius urbis bibliothecae senatoriae praest, Ae. W. R. Naumannus, qui in relegendo exemplo meo et cum bibliothecae Lipsiae codice conferendo mihi perofficiose adfuit, et C. L. Grodefendius, qui ultro mihi machinae arithmeticae lineamenta, quae hic desunt, cum una e Teuberi epistolis, qua illa explanantur, e bibliotheca Hannoviensi, atque indidem, ubi prototypon earundem epistolarum exemplum habetur, etiam XV superiore anno editarum varias quasdam lectiones transmissit.

*) Babbage: On the Economy of Manufactures. 1833.

Deinde hoc pietatis nostrae esse videbatur, ut ille vir unicus nostris qui nunc sunt discipulis si non imitandus et sequendus, tamen intuendus et suspiciendus proponeretur, atque illius temporis collegio scholastico posteritatis gratia rependeretur. Nam etiamsi bona ingenia in omni et vel illaudata schola facile solent emergere et suoapte instinctu magis ferri, quam alieno moveri impetu, ac sibi potius, quam scholae laudem comparare, et vel magistrorum religionem et diligentiam saepe male sedulae industriae et superstitionis macula infuscare: nihilo tamen minus laudis eorum et gloriae aliquid etiam scholis reliqui facit vel superciliosus livor hominum pulverem scholasticum despicientium. At vero Leibnitius puer suo tempore in scholam nostram a matre vidua deductus trium maxime magistrorum disciplina bono cum fructu usus esse dicitur. Quorum meritis et laudibus ne quid detrahatur, praeter caeteros quos superiore programme p. 6. memoravi, hos iam solos saltem nominandos esse arbitror. Fuerunt autem

IOANNES HORNSCHUH,

Rector Scholae Nicolaitanae

et in Universitate litterarum Graecarum Professor Ordinarius,

TILEMANN BACHUSIUS,

Collega III. inde ab anno 1653. usque ad annum 1659.

Conrector usque ad annum 1663.

ELIAS NATHUSIUS,

Collega IV. inde ab anno 1650 — 1676.

Collegii Mariani soc.

Hi quidem tres ideo soli in censum venire existimandi sunt, quia Leibnitius, qui quindecim annorum puer in academiam transiit, praecox ingenio pro more superioris aevi, ut videtur, nonnisi quattuor ipsius gymnasii classium stadia emensus est. Quoniam vero Ioannes Ralla, qui Bachusio in collegae III. munere anno 1659. successit, in Leibnitii magistrorum numero non habetur, puer ille aut non omnibus scholae praeceptoribus operam dedisse censendus est, aut, quod credibilis fuerit, quia, etiam Schwenkius ante Bachusium Conrector, qui anno 1659. Dialectices et Metaphysices professionem

ordinariam in Universitate suscepit, non inter Leibnitii magistros locum obtinuit, a Bachusio eousque Collega III. e classe III. in II. transumptus est. Sed haec haecenus. Nunc enim ipsum Leibnitium loquentem inducere placet.

Epistola XVII. (26. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Dn. Io. Matthias Has, professor Matheseos Augustanus, intellecta fratris maioris automatopoei renitentia alterum minorem nobis mittit, qui iam a quadriennio tirocinium eiusdem artis egressus, ab industria commendatur et obsequentia, vel ideo aptior, quod maioribus operibus assuetus est. Ad fundenda cochlidia reliquumque apparatus non deerunt illi auxiliores in vicinia sub Te direttore. „Suffecerit initio nos obtinere specimen absolutum ad usque quatuor rotas productum: inde facile habebimus, qui ex locato conducto maius elaborent.“

Impense doleo ex casu adverso, qui Domino Buchtae nostro, viro sane egregio obvenit. Spero tamen, mox in eo statu fore eius valetudinem, ut a me reverso Hanoverae inveniri possit. Sed prius, bono cum deo, vos adibo coramque omnia constituam Tecum; interim peto, ut cum iuvene Hasio auspicari opus velis; ne tempus pretiosissimum ultra pereat. Quod superest vale et me ama. Dabam Viennae Austriae 14. Iunii 1713. deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

Epistola XVIII. (27. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Ecce iuvenem Automatopoem, fratrem eius, qui frustra ad Te accessit. Hunc autem inde ex Moravia ad me evocavit frater utroque maior, professor Augustanus mathesin docens, et a diligentia commendat. Viaticum ei quod sufficeret dedi. Videtur libenter rem aggredi, et in maioribus operibus versatus est, cum alter non nisi in minoribus horologiis occupetur. Modestus etiam est et conditiones in nos remittit, nec fallitur, si spes nostras non fallit. Dandum est continuo ei aliquid,

unde honeste subsistat. Bene progredientem plura manent. Rogo, Vir maxime Reverende, ut initia solutionis occupes, ego deinde efficiam, ut sis indemnus.

Suffecerit primum quatuor producti ciphras seu notas absolvi, ex novissima reformatione. His perfectis aperta erit ulterioribus via. Cavendum est, ne a fratre Lipsiae agente seducatur, quod tamen non spero.

Ego quidem id ago, ut quam primum Deo bene volente ad Vos accedam, sed tamen iuvenem nostrum praemittere volui, ut tempus tueremur, quod omnium rerum est pretiosissimum. Spero Dn. Consiliarium Aulicum convaluisse, et nunc Hanoveram, quod felix faustumque sit, pervenisse. Interea vale et fave. Dabam Viennae Austriae 26. Iunii 1713.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

Epistola XIX. (28. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Non sine gravi sensu intellexi Te calculo aut nephritico malo vexari: idque mihi, non tantum mea, sed et reipublicae causa dolet, cum plurima a Te egregia sperem, quibus inter haec mala difficulter vaces. Significavit mihi haec nova parum grata Dn. Buchta, qui et ipse infelici casu afflictus me sollicitum habet, quem amicorum infortunia non perfunctorie tangunt.

Sperabam discere Automatopoeum, iuvenem ex Moravia ad vos meo sumtu profectum tandem Cizam appulisse; sed silentium tuum et Dn. Consilarii Buchtae me suspensum habet. Credo sub directione Tua agere posse, etsi extra aedes Tuas vivat.

Quod superest, rogo ut me quam primum et status et consilii Tui certiores facias. Interea vale et fave. Dabam Viennae Austriae 7. Octobr. 1713.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

Ante exitum anni domum redire spero Deo volente.

Epistola XX. (29. Ms. Lips.)

Prs. Fer. III. Nativ. Dni. 27. Decemb.

Respondi d. Iunae 1714.

Maxime Reverende Vir, Fautor et Amice Honoratissime!

Veritus sum ex silentio Tuo ad meas etiam repetitas ne valetudine ingravescente a scribendo impeditus fueris. Quoniam tamen Dn. de Münch nuper mihi significavit, quod Te melius habeas; non Tibi tantum, sed et mihi ea de re gratulari, simulque ineunte anno novo Deum precari officii mei esse putavi, ut Te cum coniuge carissima in multos annos validum et florentem conservet.

Literas nuper ad Dn. de Buchta direxeram, sed quia ille quoque silet, vereor, ne sit absens. Quod si adest, rogo ei quoque officia mea cum voto felicitis anni vel potius annorum deferri.

Quid de Automatopoeo statueris, intelligere opto; vides enim pro prudentia Tua et erga me atque in publicum affectu, mihi non nimis procrastinandum esse in machina absolvenda, si ad optatum finem perducere debet. Scis etiam sumtus a me in Automatopoeum iuvenem iam esse factos itineris causa. Itaque rogo ut animi Tui me certiore facias. Interea vale et me ama. Dabam Viennae 20. Dec. 1713.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

A Dno de Buchta petieram, ut cistam meam Lipsiae in manu Dn. Thomae Benedicti Richteri mercatoris positam per vectorem vestrum ordinarium Cizam deferri curaret. Sed cum non responderit, quid actum sit, ignoro. Nonnihil ei Richtero pro vectura a me expensum simul restituendum erat, quod ut in mei gratiam fieret petieram.

Epistola XXI. (30. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Ante omnia Deum precatus, ut Tibi hunc annum faustum et felicem cum aliis multis concedat, et a morbis, quibuscum

conflictatus es, immunem praestet, aio me literas domini Consilarii Aulici de Buchtä recepissee, quas et suo et quodammodo Tuo etiam ut apparet nomine scripsit, unde intellexi, quo res cum iuvene automatopoco sit loco, cuius et simul literae mihi sunt redditae. Huic respondeo, ut ex adiecta epistola vides, quam ei reddi peto, nec dubito, quin contentus sit futurus: omnia enim ei concedo, quae petit, nisi quod partem in semestris exitum differo. Itaque curabo hebdomadatim vallenses duos, sed quod superest vallensem cum duabus tertiis partibus, seu cum sedecim vestris grossis accipiet pro omnibus simul septimanis superioribus, medio anno exeunte, quod faciet ad ipsum melius in officio continendum, tum ipsi proderit, ut rei suae parcat. De caetero cum ad Tuam directionem remitto. Iudicabis etiam quae ipsi comparanda erunt, quem in finem etiam domino Thomae Benedicto Richterō Lipsiensi Mercatori recta scribo, ut 25 vallensibus necessaria redempturum adiuvet. Spero enim ex fide rem gesturum et in ea re specimen sui animi bonum daturum. Et plurimum tribuo auctoritati et hortationibus Domini fratris eius professoris Matheseos Augustani, Viri ut apparet docti, qui in fratris gratiam ad me scripsit, sed plurimum fiduciae in Tua, Vir maxime reverende, inspectione et directione colloco; faxoque ut ne beneficii poeniteat.

Exciderant plane per tot alia distracto illi octodecim vallenses, quos domino Rühlmann pro me dedisti. Illos ergo, et quae alia forte expendes in rem meam bona fide et mox redditurus sum. Nam intra breve tempus discessurus sum, et interea etiam pro domino de Buchta adhuc aliquid nummorum hic expendam, unde Tibi prout optimum iudicabis satisfieri poterit.

„Circa rem ipsam puto Te emendationis meminisse, qua fiet, ne tam saepe necesse sit unam eandemque rotam ad alias multas transferri, eique quadrare, quae res difficultatem in executione operis valde auget, praesertim cum artifices habeamus non consummatos. Emendatione autem illa nova fit, ut tantum supremæ illae rotae numeratrices diversis accom-

Quod superest vale et fave ac, si licet, rescribe. Dabam
Viennae 3. Ianuar. 1714. deditissimus

P. S. G. G. Leibnitiuss.

1) In indice novissimo Societatis Regiae Berolino
ad me transmissio Tuum nomen vidi. Itaque non
dubito, quin diploma acceperis.

Si iuvenis Cizae non esset, scires, quomodo
literae ei reddi possint.

2) Nescio an Dn. de Buchta sit Berolino rever-
sus, quo se proficisci, sed intra binas septimanas
rediturum scribebat. Interea adiectas ad eum Tibi
commendo.

Epistola XXII. (31. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime.

Spero initia laboris Mechanici bene procedere. Lipsia mihi
dudum scripsit D. Richter Mercator pecuniam pro instrumentis
fratri natu maiori iuvenis nostri solutam fuisse.

„Rotae numeratrices verticales, affixae cochliidiis et
pentagonis Tuis, poterunt circumagere rotas horizontales, sed
alias atque alias successive 4 hae rotae horizontales poterunt
ostendere numeros in lamina rotae contentrica et ei affixa per
foramen transparentes. Ipsa autem rota horizontalis erit stellata
ita ut non tantum dentes a verticali subiecta agitari possint,
sed et desuper eis possit inseri stylus, cuius ope pro additione
et subtractione manu rota circumagatur. Suprema etiam pen-
tagona per operculum eminentia non erunt negligenda, quia
iis opus est ad dignoscendum, utrum transportatio sit absoluta,
vel non. Crediderim hac mutatione instituta ex parte, quae
nunc mobilis est, immobilem factum iri et contra.“

Motum perpetuum Mechanicum a quoquam esse inventum,
non est credibile. Nam meo iudicio pugnat cum legibus naturae.
Suspisor in rota quam vidisti aerem violenter inclusum et com-
pressum egisse; sed post breve tempus rursus externa vi esse
comprimendum.

Si stator Machinam suam bene clausam et si lubet sigillatam
ad praestandum motum continuum saltem 24 horarum exhibere
posset; vel etiam si testes adhiberet motus machinae sine nova

ope per 24 saltem horas durantis et magna vi agentis verb. gr. pistilla gravia elevantis res magni momenti foret, etsi forte motus esset non pure mechanicus, sed physicus.

Inclusas Dno de Buchta tradi peto. Quod superest, vale optime et fave. Dabam Viennae 21. Febr. 1714.

deditissimus

P. S. G. G. Leibnitius.

Hoc vere spero me ad vos invisurum Deo volente.

Epistola XXIII. (32. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime.

Spero favore Tuo et Domini Consilarii Buchtae bene procedere laborem organicum, rogoque ut, si quando commodum erit, significare mihi velis, ut sese dent initia.

Scripti Tibi pariter et Dno Buchtae, etsi credam impossibilem esse motum perpetuum mechanicum, mihi tamen videri machinam, quae per horas viginti quatuor magna cum vi operari posset, quanta est hominum aliquot vel binorum equorum, fore maximi momenti; etiamsi elapsis viginti quatuor horis rursus tendi et suae activitati restitui deberet. Itaque si talis esset machina illa, quam in pago Draskowitz vidistis, magno praemio dignam fore. Sed vellem aliquot viros fide dignos posse testari, se machinam cum tali vi per viginti quatuor horas continue operantem vidisse et observasse. Cum hinc quam primum Deo volente discedere et ante pentecostes festum domum venire sperem, opto adhuc a Te, si vacat, literas hic accipere ante discessum meum; itaque rogo ut hunc favorem mihi quam primum concedere velis.

Dno Consiliario Buchtae scripsi nuperrime, me hic exsolvisse, quae iusserat et afferre velle, quae petiit. Cum ignorem, an nunc apud vos agat, et utrum meae literae ipsi sint redditae, idem hic memorare volui. Quod superest vale et fave. Dabam Viennae 28. Martii 1714.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XXIV. (33. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime.

Grata sunt, quae porro de Machina Draswizensi significas.

Ut certi simus ita esse, ut Tibi dictum est, testibus opus esse videtur, iisque intelligentibus: Hiantes rimae quas vidisti aëris compressi inclusionem non excludunt, neque enim ab externo illo cortice aspectui occurrente arctatum fuisse putandum est, sed nec aër inclusus suffecerit; oportet enim adesse vim, qua elastrum eius agendo se remittens iterum intendatur. Ego, ante rem vel a me vel a fide dignis et peritis satis examinatum, principi alicui magno inventum redimendum proponere non ausim; sed si tale esset, quale fertur, magno aestimandum, redimendum, adhibendum ipse indicarem. Spero autem mox visendi eius copiam mihi factum iri.

Gaudeo Machinam Arithmetica non male procedere. Etsi autem non exprimas, quo rem modo institueris: „arbitror tamen ita fieri omnia quemadmodum inter nos novissime convenit, ut scilicet quam minimum eadem rotæ diversis applicentur translatioque omnis in unicum supremum machinamentum reiiciatur, atque ita versa rei vice pars hactenus mobilis in immobilem transeat et contra.“

Caetera in praesentiam differo, Deo volente, ut spero non longinquam. Vale et Nobilissimum Buchtam a me officiosissime saluta. Dabam Viennae 26. Maii 1714.

deditissimus

G. G. Leibnizius.

Epistola XXV. (34. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime.

Quamquam diu nihil de Te intellexerim, spero tamen Te bene valere et mihi favere, praesertim in Machinae Arithmeticae elaboratione; et iuvenem nostrum automatopoeum, qui bene coeperat, pergere non male. Quamobrem quo res loco sit nosse optem, cum diutius quam speraram reditum protraxerim. Veniam tamen Deo bene volente haud dubie ante hyemem, vel potius ante iniquam itinerantibus et senibus praesertim tempestatem. Itaque intra paucas septimanas mihi discedendum erit; opto tamen antea a Te literas accipere, quibus de rei statu edocear.

Orffyreï vestri machina, si vim internam eamque magnam habet, quae per multas horas ne dicam dies durare possit,

non video, unde eam habere possit, nisi ab aëre clauso. Licet vero tegmina illa lignea aërem non bene claudant, nihil tamen prohibet, subesse aliquid, a quo exacte concludi queat. Motum certe perpetuum mechanicum, vi machinae interna praestandum impossibilem iudico. Ergo vi opus est externa; quum animalibus, aqua, vento, pondere remotis, clasmate autem crasso, quale verna circumagit, ad tempus diuturnum non sufficiente, unum aërem superesse video. Sed de facto ipso certos nos esse oportet, antequam rationes quaeramus. Si praestare potest, quod promittit; non dubitem ei spem facere summae, quam postulat.

Quod superest vale et fave, et vel paucis lineis me*) status Tui, quem optimum precor, certiore reddere. Dabam Viennae 21. Iulii 1714. deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibniz.

Epistola XXVI. (35. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime.

Gaudeo tandem literas a Te accepisse, magisque ex illis didicisse, Te feliciter ex balneis Toplicensibus reversum.

D. Consiliarius de Buchta de iuvene nostro Automatopoco non optime sentit; suspicaturque eum amoribus indulgere, indeque factum negligentiore, sed cum Tibi cum eo tractandum sit, optime iudicabis, quid faciendum sit, ut intra limites hominis frugi coerceatur. Si habes quod de eo querere, ita ut ferri non debeat, tentabimus admonere per fratrem Augustanum virum bonum et doctum. Sed et alter frater nuper hinc discessit (nam Viennam venerat) mihique valedicens, affirmavit Lipsiam a se ac deinde Hannoveram ac fortasse Bremam tendi. Credo iam Lipsiam venisse. Quod si Te adit, ut spero, vel fratrem Lipsiam vocat, poteris eius uti opera ad fratrem exhortandum, ne det caussam de se querendi. Vellem autem haec facias quasi sponte Tua, tamquam a me adhuc ignorarentur quae non optime se habent, ut metuatur, ne, si resciscam, peiore sit loco.

„Ut decadicarum rotarum translatio bene procedat, necesse

*) Mei Ms. me sensus postulat.

est (uti nemo Te melius iudicare poterit) tam ipsas decadas rotas, quam fundamentales illas ita aequaliter collocatas esse, ut quaevis decada cuiusvis fundamentali accommodari possit, quod diligentiam et accurationem in opifice desiderat, et velut lapis est Lydius, quo quid valeat dignosci poterit. Quanto, obsecro, res futura esset difficilior; si etiam, ut olim tot aliae particulae, quaevis tot aliis accommodari deberent? Desunt nobis „in Germania“ homines satis periti et industrii, qui bene concepta bene exsequantur: spero tamen hoc, quicquid est, cum sit tanto simplicius, te inprimis iuvenem dirigente superatum iri.“

Orffyreana Machina quantum virium habeat, aestimari velim, id est quantum pondus ad quantam altitudinem et quoties intra horam attollere possit: tum vero an continuari possit operatio non intermissa per aliquot dies: tandem examinandum erit diligenter, an fraus omnis absit, ubi alia vis occulta applicetur. Significat summus dux sibi quoque rem visam: petam ut accuratius inquiri curet. Recte iudicas solum aërem inclusum nihil posse agitare, nisi accedat externum aliquod agens vel resistens. Sed tale praestare posset caeteris deficientibus vel ipse aër externus.

Ego Deo bene volente omnino ante hyemem Hanoverae esse constitui daboque operam, ut Te in itinere adire possim, et tunc omnia constituemus.

Nunc autem D. Richtero scribo, ut Tibi pecuniam, quam petes, meo nomine suppeditet, quo porro ali automatopoeus sine Tuo incommodo possit. Nam D. de Buchta scribit sibi mox esse discedendum, non addit tamen, quo sit iturus.

Interea vale et fave. Dabam Viennae 15. Aug. 1714.
deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibniti.

Epistola XXVII. (36. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime.

Discessi a Vobis plurimum obstrictus Tuae curae in promovendo publico bono, quam in machina Arithmetica perficienda quaero: sed mihi ipsi indignatus sum paulo post discessum, quod rem necessariam dicere neglexi. Sed hoc faciunt aulicae distractiones, quarum tamen non poenitet ob summam summi

ducis humanitatem, magnamque qui ex eius consuetudine capitur fructum. Sed quod admoneri necesse duco, etsi adhuc differre potuerit nonnihil, observandum autem erit, quam primum ad partem mobilem accedetur, hoc est: „necesse omnino esse, ut pars immobilis plane sit ad primum machinae statum reducta, antequam fiat promotio, ita nempe ut pars promovenda eandem nempe immobilem semper ad omnia indifferentem inveniatur. Hinc sequitur, apicem et dentem transportatorium, qui post circuitum rotae numeratricis pentagona ad futuram transportandi actionem disponit, in parte immobili axeque rotae a cochlidio immediate circumagendae esse non debere, sed dependere ab ipsa rota numeratrice parti mobili affixa.“

„Esto rota verticalis a cochlidio circumagenda A, ea agit rotam horizontalem numeratricem B. Ad est praeterea rota pentagona transportationes futuras praeparans C. dico hanc non a rota A, sed a rota B disponi debere, si non immediate, saltem interveniente alio veluti horizontali, ut d vel simili, prout situs optime docebit*).“

„His suppositis, si tantum curam habemus, ut transportationes imperfectas ante promotionem partis mobilis absolvamus ope pentagoni prominentis; efficiemus, ut pars immobilis semper ante promotionem redeat ad statum priorem per omnia sibi similem. Haec observatio modum nobis praebet tegendi artem machinae, subducendique perfectam eius notitiam etiam ipsis automatopoeis quos adhibemus, si tantum apicem sive dentem transportatorium relinquemus in axe rotae A, ubi esse non debet, et postea ipso ignaro transferamus ad axem rotae B, ubi esse debet.“

Scripsit ad me noster iuvenis postulatque additiones vel solutiones antecedaneas**) (*sic!*) nescio quas. Ego etiam indicare posse visus sum, sufficientem esse ipsius praebendam. Tuo autem arbitrio relinquo, an ipsi vestis habendae causa

*) Leibnitius hunc in locum tres rotas notavit in margine, duos infra, sinistram C dextram A, dextrae superimposuit tertiam B, freno dentato iunctam inferiori sinistrae C.

**) Antecedaneas = antecessivas Tertull.

succurrendum putes. Velim autem pecuniam non ipsi dari, sed vestis negotium per Fridericum Dni Consilarii Buchtae curari. Interim satis persuasus esse debet iuvenis noster, si bene rem gerat, et diligentiam industriamque paulo magis ostendat, non deore non tantum necessaria, sed et uberiora, ne ulla ratione queri possit, ita tamen qua licet agendum est, ut semper nonnihil in aere eius simus, ne improvisus abeat aliquando.

Dno Consiliario Buchtae alia vice scribam paulo ad omnia instructor. Summo Duci me data occasione summissem commendari peto. Vale et fave. Dabam Herrenhusae apud Hannoveram in Aula summae principis Regiae 23. Sept. 1714.

P. S.

Dn. Orffyreum optem hortatu et gratia Summi Ducis librari a nexu, quo aliis obstrictus est, a quibus parum opis sentit. Ita putem deinde ipsi succurri posse pro merito inventi. Itaque velim in Cizense territorium cum sua Machina transferri possit, quo facto omnia putem futura in vado. Rogo ut ea de re cum Dn. Consiliario Buchta deliberes eumque a me officiosissime salutes. Res circumspecte tractanda est cum homine suspicioso ac timido, et aliis obnoxio, qui parum ad ipsum, multum ad se respicere videntur.

Epistola XXVIII. (37. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Spero meas Tibi redditas, quibus exposui, quod coram dicere oblitus eram, prorsus autem observandum est, ut machina nostra scopo satisfacere possit; nempe non axes inferiores sive immobiles, sed superiores sive mobiles, quibus rotae numeratrices affiguntur, dentem transportatorem gerere debere. Ita inferiora illa sive immobilia omnia semper, antequam promotio fit, in statum primo aequivalentem restituuntur, cum imperfecta, quae supersit transmutatio, ipsa manu (prominentibus illis pentagonis ad libellam reductis) ante promotionem absolvatur.

Observavi etiam hinc viam haberi efficiendi, ut Automatopocus, qui machinam elaborat, artificium eius non agnoscat,

si nempe dens transmutatorius in speciem relinquatur, ubi nunc male locatus est, tollatur, et in altero illo loco alius substituatur. Hoc quoque in prioribus literis attingi.

De Dno. Orffyreo repeto, optare me, ut inventum quaecunque, certe non spernendum, in usum publicum transferatur, libereturque vir bonus ab illo nexu, quo illi Camerae Consiliario, parum ni fallor in ipsum aequo, est obstrictus, simulque a desperatione prohibeatur, ne inopia pressus, forte se decipi, et in alium locum fraudi obnoxium allici patiatur, quae omnia obtinebuntur, si summus Dux sustentationi eius honestae in breve tempus generose prospiceret, donec modum inveniamus, inventum cum ipsius fructu in usum transferendi, quod mox fieri posse vix dubito. Ego ipsi summo Duci in eundem sensum scribo, et ut Tecum consulat suadeo. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 7. Octbr. 1714.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XXIX. (38. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Amplissime!

Etsi diu nihil a vobis intellexerim, spero tamen Te valere et nostri meminisse et favere operi, cuius exsecutionem tam benevole in Te recepisti. Puto etiam laborem bene procedere et iuvenem Automatopoeum satisfacere officio suo.

Vereor, ne Dn. Consiliarius Aulicus Buchta sit absens, quia nihil ab eo intelligo. Dn. Zolmannus iuvenis Dni. Consiliarii intimi filius pro me emit Ienae disputationes quasdam, quarum pretium ad tres vallenses, ut intelligo, ostendit. Rogaveram ut Dn. Consiliarius hos Dno. Consiliario intimo exsolvere vellet, filio reddendos. Quod si tamen absit Dn. Buchta, nescio an hoc a Te petere ausim, cui tot aliis modis sum importunus.

Quod superest Deum precor, ut Te cum domina coniuge diu incolumem laetumque multos in annos servet. Peto etiam Dno. Consiliario, si adest, hoc votum meum simile pro eius incolumitate et prosperitate significari. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 30. Xbr. 1714.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XXX. (39. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Permitte, quaeso, ut inquiram, quo sit loco Machina; et, si vacat, vel ipse significa eius statum vel opifici committe, ut ad me scribat, sed ubi Tibi monstraverit, quae scribet. Spero Dn. Richterum in pecunia exsolvenda non defuisse; alioqui (credo) monuisses. An Dn. Buchta sit reversus, scire desidero. Et alioqui plurimum gaudebo, si summum Ducem cum suis, et Te aliosque amicos optima valetudine frui intellexero.

Dno. Hasio nostro significa, quaeso, ut Dn. fratrem suum Augustae cum laude docentem a me salutet, eique significet, me Brandthagiae Bauero nuptae dudum respondiisse.

Invitus Tibi molestiam creo, quem scio esse occupatissimum. Sumtus in literas aliaque id genus, ut par est, rependam.

Ad Dn. Consiliarium Buchtam peto inclusas curari. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 16. Martii 1715.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Quid facit Orffyreus,
an iam est oripoeus?

(P. S. in margine.)

Literas ad Dn. Consiliarium Buchtam, cum paullo spissiores sint, ad Dn. Munchium mitto.

Epistola XXXI. (40. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Peractis Festis paschalibus spero Tibi respirandi datum esse spatium, inque fiducia tuis gratissimis respondeo. Tuae omnes ad manus meas recte pervenere, et ut prioribus respondi, ita novissimis nunc satisfacio.

Gaudeo machinam ad metam appropinquare. Cum ad exitum perveniendum est, detexisse Te aliquas difficultates, non miror, sed superatas, est quod nobis gratuler. Ad summam rei non pertinuisse ex eo colligo, quod in quo potissimum constitierint, non addis.

Longanimitate opus esse adversus Automatopoeum nostrum, etsi mores in deterius vertentem, pro prudentia tua optime

intelligis, ut operi tandem ultimam manum imponat. Mechanicus ille, quem laudas, poterit a nobis accipere, quibus utiliter occupetur. Itaque conservari hominem e re erit, et parum referet, quod privilegio principis in ipsum utentur invidi; ita nobis magis proprius erit. Si quid de Offyreo intelliges, fac, quaeso, ut discam. Disci poterit a Dno. praeposito supremi Capituli Numburgensis Cizae commorante, quo res eius sint loco. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 25. April 1715.

deditissimus

Godefridus Guilieimus Leibnitius.

Epistola XXXII. (41. Ms. Lips.)

Maxime Reverende et Celeberrime Vir!

Accepi literas a Dno. Consiliario de Buchta, quibus salutem a Te ascribit, sed de Machina et artifice ne γού quidem. „Facit hoc, ut verear, ne res haereat, fortasse, ut olim timere me dixi, ob exiguitatem rotarum, in quibus difficilior est obtinere necessariam hic accuratorem.“

Itaque rogo, ut ingenue perscribas, quo res sit loco, ita enim fortasse in tempore consulere malo licebit, quod praestat, quam nimis diu insistere labori, cuius exitus difficulter haberi possit.

Cum incertus sim, an Dn. Buchta nunc apud vos agat, inclusas ad Te literas dirigere volui. Communicavit mihi catalogum inventionum Gärtnerianarum. In illis duo mihi alicuius momenti videntur tormenta facile transportabilia, et modus resistendi inundationibus: qui tamen vereor ne plus fundamenti habeat in imaginatione, quam in ratione. Caetera, ni fallor, omnia nota sunt, et meliora habentur.

Video ex literis Dni. de Buchta Orffyreum Machinam maiorem moliri. Vereor ne oleum et operam perdat, et, dum nimia affectat, omni fructu laboris sui excidat.

Spero artificem diligenter incumbere labori suo; et certe omnia quaeque mihi adhuc promitto, donec alia significaris. Itaque rogo, ut mihi hanc perplexitatem paucis lineis adimas. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 15. Iulii 1715.

deditissimus *G. G. Leibnitius.*

Epistola XXXIII. (42. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Perplexum admodum me reddit silentium Tuum: nunc enim valetudini Tuae timeo, ne, quod obsit, adversa sit, nunc vereor, ne quid circa artificem contigerit; nunc quod maxime primum est credere, suspicor inexpectatas se difficultates tandem obiecis. Quicquid eius sit, nosse opto, fortasse enim consilium non inutile dare possem.

„Scripsi nuper posse fieri, ut rotarum exiguitas accuratiori obstat; quae hic requiritur solito maior, quoniam non una rota uni, sed quaelibet inferiorum cuilibet superiorum respondere debet: quae difficultas ut superetur, vel opus erit rotis maioribus, vel confugiendum ad alteram structuram, ubi minuitur admodum haec accommodandi necessitas.“

Quicquid eius sit existimationis certe interest, ne desistamus et mature potius confugiamus ad remedium, quam frustra laboremus obstinatiusque insistamus viae exitum vix daturae. Itaque etiam atque etiam peto, ut paucis lineolis me ab ista perplexitate liberare velis: modo valeatis et opus non deserueritis; quicquid nuntiaveris, facile feram. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 3. Augusti 1715.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

Si Dn. de Buchta adest, eum a me salutari peto, et novissimas meas ei redditas non dubito.

Epistola XXXIV. (43. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Gratissimae fuere literae Tuae, quia inde intellexi et Te bene valere, et opificem nihil nisi operis ipsius perficiendi studium morari. Itaque utor hic dicto, quod Regem Magnae Britanniae qui nunc praeest, aliquando libro memoriali philothecario inscribere memini: sat cito, si sat bene.

Difficultatem, ni fallor, pro magna parte efficit exiguitas, quia in exiguis parvus error multum facit.

Habesne adhuc ad manum alterum illum automatopocum, quem, ni fallor, hac hyeme laudabas?

Si dominus Gärtnerus artificium Dn. Orffyreï detexit, oportet ut imitari possit. Ego quidem, ut saepe dixi, motum illum non mere mechanicum esse, sed ex principio aliquo physico oriri credo, sed quale illud sit, divinare nondum possum. Et utilitas eadem fuerit, si machina ingentes effectus diu sponte sua edere potest. Itaque ego artificium nolim appellare dolum, si praestat quod desideramus. In descriptione effectus semper is est defectus, quod non exprimitur, quanto tempore et quousque pondus elevetur. Itaque dicendum erat non tantum (1) quantum pondus elevetur uno circuitu rotae, sed etiam (2) ad quam altitudinem tali circuitu elevetur id pondus et (3) quod circuitus fiant intra horam. Hoc dènum expresso potentia machinae aestimari poterit. Magnam mihi facies gratiam, Vir Max. Reverende, si[bi] subinde verbulo me ab omni metu liberabis. Vale. Dabam Hanoverae 16. Aug. 1715.
deditissimus G. G. Leibnitius.

P. S.

- I. Quantum Tu doles, Vir Maxime Reverende, quod tanto sumptu opus est, tantum ego doleo, tantum Tibi laboris esse insumendum.
- II. Utroque pede laboro, non podagra nunc quidem, sed apertura seu vulnere, quod nullis emplastris hactenus eo adducere possum, ut claudatur. Scilicet in senibus vis illa naturae, quae sponte texturam instituit, qua laesa reparet, debilitata est.

Epistola XXXV. (44. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Curo ut pecunia exsoluta his nundinis domino Richterò reddatur, ut alia vice (si opus) aequè se promptum ostendat. „Spero nunc ventum ad supremum esse. Semper veritus sum, ne exiguitas rotularum noceret. Et certe putem absoluta hac machina si ad novam aliquando veniendum sit, praestare, fieri maiores.“ Ita facilius erit etiam proletariis mechanicis. Malitiosi homines sint oportet, qui Dno. Orffyreò malam de me opinionem ingessere aut ipse potius homo est inique suspiciosus. Audio cum apud spectatores mei mentionem facere; si

inanes suas suspiciunculas admiscet, pessime agit, nec dignus est auxilio, quod ei parabam, et ab hac pravitate deterrendus esset per amicos. Quantum video, ut ille rem aggreditur, nihil magni efficiet. Rota eius etsi iam maiuscula recentissimam quidem partem virium rotae aquaticae habebit. Ego de singulari quadam ratione (etiam extra horologium) cogitaveram, qua fortasse inde elici posset non spernenda utilitas, sed omittendus est, ut video, homo, qui vereor, ne ex suo ingenio alios aestimet, et suae fortunae relinquendus, quoniam bona aliorum voluntate tam male utitur. Non puto Dn. Gärtnerum facile inventurum, in quo consistat Dn. Orffyreus artificium. Ego dolum appellari nolim; etsi non putem esse motum perpetuum pure mechanicum, quem impossibilem esse adhuc persuasus sum. Si esset talis, machina ad multo maiorem potentiam provehi posset. Sed suspicor subesse aliquod physicum, quod habeat vires admodum limitatas. Quod superest vale et fave. Et subinde de progressu doce. Dabam Hanoverae 5. Octbr. 1715. G. G. Leibnitius.

P. S.

Mentionem aliquando feceras alterius artificis, sed quem caeteri ferre nolint. Fac, quaeso, ut sciam, quo res eius sint loco. Utiliter fortasse conservabitur.

Epistola XXXVI. (45. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Silentium Tuum subinde metum iniicit: quia tamen omnia libenter in meliorem partem accipio, ut Lutherus in catechismo minore suadet; spero ideo Te siluisse, ut me subito tanto maiore gaudio ex improvviso afficias. Interea significavit mihi Dn. Richter, Te iterum pecuniam ab eo*) accepisse meo nomine. Id quoque spem meam auget: neque enim frustra acciperes, nec nisi bene collocandam. Interea plurimum Tibi debebo, si paucis lineis me aliquando docere velis, quo res sit loco. Quaesivi aliquoties de altero Automatopoeo, quem ceteri persequuntur, sed non respondisti.

*) Ab eo? a quo? non liquet. Scribendum haud dubie *a se.*

Scripti etiam inepte aut maligne facere Orffyreum, si de me queritur. Non potest queri, nisi de se ipso, si res haud admodum procedit. Quid eius sit, et an vere me accusarent, Tuo favore discere speraveram. Aliquamdiu etiam de Dno. de Buchta nihil intellexi; nec satis scio, an adhuc Dresdae versetur. Exige quaeso (si placet) ab Automatopoco, ut subinde ad me scribat. Gratum etiam erit nosse, quid Dn. frater eius Augustae agat.

Quod Dn. Offyreii machinam attinet, et si Dno. Gärtnero non assentiar fraudem subesse, non tamen puto esse motum mere mechanicum, sed oriri ex principio aliquo physico, et si id non possim adhuc detegere; quamquam etiam nullam ea in re operam posuerim. Hinc enim puto vim eius esse valde limitatam, et 100 tales machinas non aequare vim unius molarum aquaticarum. Interim fortasse usus eius peculiaries aliquando reperientur, quando de constructione constabit. Sed ea vix detegit Dn. Orffyreus. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanoverae 7. Novembr. 1715. deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XXXVII. (46. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Non mediocriter laetatus sum, cum ex literis Tuis valere Te intellexi et rem nostram bene procedere. Mihi etsi aetate propecto adhuc placet illud: sat cito, si sat bene. Ita enim mihi faveo, ut sperem vivendo adhuc attingere absolutionem operis diu agitati, idque certe pro bona parte Tibi debebo.

Petit a me Künschtlerius, ut quatuor ei florenos solvi eurem pro puero subinde inserviente. Ait me promisisse, et subobscure aliquid tale a me factum memini; et cum non spernenda videatur eius opera, rogo ut ei in ea re gratificeris.

Vix ad Dn. Consiliarium Buchtam scripseram, et novellas rei nostrae machinariae petieram, cum Tuas accepi. Scribit is se visitationi machinae Orffyreanae affuisse, quod gratum est. Addit affuisse et Dn. Wolfium Hallensem, a quo relationem peto.

His iam scriptis novas ab ipso literas accipio, quas rite redditae et curanda inserta ut cum multa salute a me significes peto.

Annus iam elapsus est, quod vos vidi. Spero revisere Deo volente. Non *hora* tantum (ut Grotius libris Philomonicis inscribat), sed et annus *ruit*. Quod si tempus bene collocemus in eis, quae ad honorem Dei et bonum proximi pertinent, uti certe facimus, si scientias artesque invenimus; ruat licet, nos non ruemus. Pedis utriusque vulnus curatum est tandem praeter spem, ubi me podagrae caussa lecto commisi. Dum enim decumbo, imminutus est affluxus. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 6. Decembr. 1715.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XXXVIII. (1. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Silentium tuum paulo diuturnius me semper nonnihil perplexum habet, nunc tibi, nunc machinae nostrae timentem: novissimae tuae spem iniiciebant opus brevi absolutum iri. Ego peto, ut, si fieri potest, saltem pars aliqua quam primum absolvatur, si efficiatur, ut ad sex minimum rotas productione exacte pertingere possint; praestat enim partem absolvi quam primum, quam omnia in incerto esse. Hoc optem effici posse intra sex septimanas et an sperari queat mihi quam primum significari. Quod si tibi scribere non vacat, quaeso, ipsum artificem scribere iubeas, ut hac de re edocear. Et perinde est nunc quidem, ac si sex tantum rotas in producto haberemus, ceteraeque vacarent ita in rotis additoriis seu productoriis sex gradus, in multiplicatoriis tres aut potius quatuor perfecte adaptari suffecerit. Doleo cogi me ut tibi tam faventi sim molestus, sed nunc necessarium fuit, ut ad has preces descenderem. Dn. consiliarium de Buchta officiose a me salutari peto. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 6. Febr. 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

Si dominus consiliarius intimus Muench apud vos est, rogo ut illi litteras mihi destinatas mittas; sin absit, postae commendes.

Epistola XXXIX. (2. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Doleo me Tibi toties molestum esse cogi, eo magis, quod Tuo de republica bene merendi studio, hoc Tibi incommodum attraxisti. Faxo tamen, ne beneficium in ingratum collocasse videaris.

Ut Automatopoeum ad me arcessam, minime consultum est, nam nec in meis aedibus esse poterit, et multo magis hic consortiis obnoxius erit; et multae aliae sunt causae, cur tale quid hic agi nolim, ut ipse facile coniciis, putem ministro domini Consiliarii de Buchta committi sub spe praemii posse, ut nonnihil advigilet eius diligentiae. Apud eum, ni fallor, cibum capit: quod si vereris, ne lucelli spe ipse ille minister protractioni faveat, innui ipsi poterit, si indiligens homo esse pergit, mox advocatum aut dimissum iri; sin opus ex fide et cum cura mature absolvat, amplius diutius eius opera nos usuros.

Caussa, quam Tibi in aurem dicam, cur vel partem maturime absolvi negem, haec est, quod Rex Magnae Britanniae et Czar etiam monarcha Russorum partim hoc vere, partim hac aestate in Germania exspectantur.

Mea autem valde refert, ut ostendi aliquid absolutum eis possit.

Valde vereor, ne incommoda ex eo oriantur, quod rotae sunt paullo minores: ita enim maiore cura et exquisitiore fabrica opus est, quod si desperares aliquid accuratnm hac ratione effici posse: praestaret profecto de integro in maioribus rotis sex productiones quanta fieri potest promptitudine procurari et si via illa prior, qua tam multa tam multis accommodanda sunt, haud satis tuta videretur, alteram a me propositam eligi, qua pauca tantum paucis in translatione congruere debent. Quod si colloquio meo opus iudicares, ego etsi incommodo tempore, nec optima valetudine, iter tamen non defugerem, ut tandem ex re perplexa exeamus: Fac mihi, quaeso, hanc gratiam, et quam primum responde. Quicquid ultra accepta expenderis cum fide restituam. Vale et fave. Dabam Hanoverae 10. Mart. 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

Si Automatopoeo deest diligentia, non erit, cur debitorum eius nunc rationem habeamus. Schedam adiectam ei tradi peto. Est qui mihi scribit Dn. Orffyreum in delirium incidisse, de quo profecto non mediocriter dolerem. Vellem enim bono viro insignem magni et praeclari laboris fructum non deesse.

Vereor, ut vel ipse, vel amici eius et confoederati usum aliquem Machinae insignem inveniant: Nec tamen desperarem talem obtineri posse ab aliquo, qui fundamentum nosset et in altiore mechanica versatus esset.

Diu est, quod nihil de dn. Buchta intellexi, etsi literis eius responderim, et habeam ipsi perscribenda; sed nunc exspecto, dum intelligam, ubi agat.

Epistola XL. (3. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Nuperis rationem exposui, cur opus, cui faves, urgere cogar, et vel parte nunc contentus sim futurus, si, ut par est, absolvi possit. Quod si ne huius quidem spes sit, videri necessario ad maiores rotas esse recurrendum. Peto, ut pro Tua erga me benevolentia et erga rempublicam literariam studio, quam primum sententiam Tuam mihi exponere velis, ut quod in rem maxime sit constitui possit.

Noster artifex scripsit mihi, audisse se, quod Dn. prof. Struvius sententiam meam de novo professore Matheseos Ienensi expetierit, rogavitque ut Dn. fratrem eius commendarem. Sed Dn. Struvius ea de re ad me non scripsit. Itaque frustra me ingererem. Hortatus sum artificem nuperis literis, quas Tuis incluseram, ut maiorem diligentiam adhibeat; putavi etiam per ministrum puerum Dn. consiliarii aulici Buchtae in officio contineri posse, erga quem eam ob rem non ingratus essem futurus. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae
deditissimus

3. Aprilis 1716.

Godefridus Guilielmus Leibnizius.

Epistola XLI. (4. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

„Rectissime factum arbitror, quod novum opus in maioribus rotis instituisti: quo maiores erunt, eo tutiores.“
 „Velim tamen novum opus ita fieri, at locus vacuus maneat pro pluribus rotis addendis, verbi gratia pro totidem novis numeratricibus.“ „Sed urgendus est labor.“

Sed quid de Automatopoeo priore et labore ab eo affecto (*sic!*) fiet? An praestituendus ei terminus, intra quem et ipse saltem partem absolvit, nempe etiam 6 numeratrices cum connexis?

Dolerem non mediocriter, si dno Orffyreo aliquid secius accidisset et peto inquiri. Dn. praepositus, quid eius sit, optime norit. Habebat iam tum aliquid bonus vir, quod ad regulas vitae communis accommodatum non erat.

Ita facile perire poterit inventum, nisi sociis sit cognitum.

Dn. de Buchta, qui ipsius et sociorum nomine ad me scripserat, et responsum, quale par erat, tulerat; amplius verbum non addidit. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanoverae 14. April. 1716. deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

Pene non minor mihi cura est canis loquacis, quam machinae Orffyreanae. Ut valet? Utinam ars in plures canes diffundatur, sed magis optandum, ne pereat inventum.

Epistola XLII. (5. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Fortasse ex his nundinis Lipsiensibus litterae a Te afferrentur: mihi interim succurrit, videri iam pecuniam a Te expensam ultra eam, quam a Dn. Richtero accepisti. Itaque rogo, ut significes, quid Tibi restitui oporteat. Rogabo enim Dnum Richterum, ut eam Tibi numeret, sed ante omnia peto magnopere, ut pro favore Tuo negotium urgeas, et, quo sit loco, significes: malim enim vel aliquo pecuniae dispendio lucrari tempus. Itaque binorum operas adhiberi non repugnabo, si commode fieri possit.

Dominus Consiliarius de Buchta, etsi literis meis compellatus etiam silet.

Quid tuus Orffyreus cum sua Machina et canis loquax agant, nuper etiam quaesivi; neutrum perire velim, sed minime machinam. Quod superest vale et fave, et, si licet, mihi dubitationes adime. Dabam Hanoverae 19. Maii 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

Epistola XLIII. (6. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Fac mihi, quaeso, hanc gratiam et significa, quo sint loco res opificis nostri: sumtus, ut absolvatur, suppeditare meum est; itaque significa, quaeso, tum quid expenderis, tum quid nunc iudices submittendum.

„Quodsi opus minorum rotularum nihil certi spondet, praestat abiicere, quam inutiliter ab eo distineri.“ „Fortasse posset perfici saltem in partes, ut verbi gratia quatuor aut sex rotarum Numeros conficere posset.“ Si ne hoc quidem certum est, omitti praestat. Itaque etiam atque etiam peto, ut sententiam Tuam ad me perscribere velis.

Nescio, an Dn. de Buchta ad vos redierit. Sin abest, litteras meas ad eum mitti peto. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 29. Maii 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S. in margine

Peto etiam Dno Grundmanno suas mitti.

Epistola XLIV. (7. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

„Ferendum est, quod mutari non potest.“ „Itaque cum Hasii irritus sit labor, nec ab eo spes meliorum, dimitti eum debere manifestum est.“ „Interim quisquid effecit, ab ipso traditum apud Te esse non dubito; utileque erit effici, ut credat ab alio perfici debere, de quo etiam non despero, sed hoc seposito de integro resumendum est ab altero opus, et ut spero melioribus auspiciis tractandum.“ „Illud considerandum, an non praestet rem agi methodo altera a me coram proposita,

ne tam multa tam multis accommodari debeant.“ „Quod ut constitutur rectius, prima quaque die Deo bene volente apud Te ero.“

Locutus sum heri cum Monarcha Russorum eique specimen operis promisi. Itaque danda mihi opera est, ut stem promissis. Inclusas Dno de Buchta tradi peto. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 28. Iunii 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitus.

Epistola XLV. (8. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Etsi intelligam me serenissimum ducem haud domi inventurum*), in eo tamen sum, ut hodie hinc discedam, Aulam Welferbytanam et deinde vestram aditurus; imprimis ut Tecum rem machinae constituam. Nam ubi Rex Magnae Britanniae, quem exspectamus, advenerit, praesentia hic mea necessaria erit. Spero me etiam dn. Consiliarium Aulicum Buchtam apud vos inventurum. Sed quia maxime mea interest, ut Tuo colloquio fruar, significare adventum volui. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 3. Iulii 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitus.

Epistola XLVI. (9. Ms. Lips.)

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Iter meum Deo favente feliciter confeci. Tibi multi favoris, multae humanitatis caussa obstrictus sum. Spero bene se dare iam initia Artificis nostri, itaque rogo, ut cum porro hortari atque animare velis ad rem bene gerendam, quod illi non tantum honorificum, sed et utile erit. Valde enim opto,

*) Annot. Mauritius Guilielmus, qui haud secus, ac iam 1697. frater eius Christianus Augustus anno 1715. ad pontificiam ecclesiam transit, a Capitulo extra Gizam residere coactus Weidae habitavit, die XIV. Mai a. 1717. Administratoris dignitati renuntiavit, Mariae Amaliae (Brandenburgicae), uxoris suae instinctu a pio Frankio Halensi colloquio Weidano revocatus ad Evangelicos 16. Oct. 1718. Pegaviae coenam Domini sub utraque sumsit, 15. Nov. 1718. obiit. Cf. Philipp. Gesch. d. Stift. Naumb. Zeitz. S. 290 ff.

ut, antequam serenissimus Magnae Britanniae Rex et potentissimus Monarcha Russorum a nobis longius recedant, partem destinatam operis confectam et satis facientem ostendere possim. Itaque in nundinas Michaeliticas rem ad summum differo. Dnum Consiliarium Aulicum de Buchta iam Gotha domum rediisse arbitror; rogoque ut eum a me salutes. Doleo nos colloqui non potuisse.

In reditu Cassellis cum Domino Orffyreo locutus sum. Habet ille bonam spem ope et auctoritate serenissimi Landgravii praeium condignum*) a pluribus magnis principibus corrogandi: sed ad eam rem opus erit, ut machina in unam alteramve septimanam cursum suum extendere possit. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanoverae 3. Augusti 1716.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitiuss.

Corollarium:

Epistola Teuberi ad Leibnitium.

E Tabul. Hannov. Ms.

*Perillustris ac Magnifice,
Domine et Patrone aetatem colende,*

Sisto hic iudicio Excellentiae Tuae tentamen aliquod tenue circa Machinam arithmeticam, quo promotionem decadicarum in aliud tympanum eodem momento, ubi necesse, praestare crederem. Non meum est, sed ex Tuo stupendae artis invento conflatum. Totum autem negotium consistit in tribus, quinque dentibus instructis rotis A. B. C., sibi que firmiter impositis, ita ut mota una moveantur et reliquae. Infima C et media B gaudent eadem diametro cum omnibus aliis, e quibus tota constituitur Machina. Supremo vero A fere duplicata (fere, inquam, ut pro axis crassitie D, qui tympanum seu limbum numeris notatum portat et promovet, aliquid re-

*) h. l. Leibnitiuss Orffyreus nomen recte scripsit: Cf. Progr. 1843.

maneat. Rota fundamentatis E, quae mordet aliam, tympanum sibi affixum habentem F, movet et adhuc aliam intermediam, alternantem nempe G. Et dum dens H. super rota F existens in puncto siphrae, mediam illarum trium B decima suae peripheriae parte ab x in y protrudit, eodem momento rota intermedia G accipiet dentem, in infima C. proveniente, et itidem ad decimam partem urgebit. Suprema vero A (cuius dentes cum media B, ratione plani verticalis coincidunt necesse est) proxime adstantis tympani rotam I mordens, ad quintam partem (si I proprio careret motu) nempe ex S in M secum rapiet. Interea autem dum rota I (cui alia eiusdem magnitudinis et per rotam K mobilis, subiacet) eodem momento, vi mediate a K concepti motus, tanquam proprii, ex L in N movetur, dimidium illius nempe $\frac{1}{10}$ absorbetur, ideoque rota A unicam tantum decimam motui rotae I addere potis. Quaelibet rotarum pinnula sua, ut debito persistat situ, sit instructa. Denique et hoc observandum, quod omnes rotae KGE quarum centra in linea OP, verticales; in QR vero, horizontales, concipiendae. Illae moventur a cochliis, hae vero ab illis.

Videbis igitur, Excellentissime patrone, num placeat et votis respondeat hoc tentamen, nec ne?

Domino Kohlmanno, ex mandatis Tuis, dedi d. s. huius pecuniam, et quidem 18 Imperiales; tot enim poposcit. Dabam Cizae $\text{C} 14$. Decemb. 1711.

Perillustris Nominis Tui, addictissimus Cultor

M. Gothofredus Teuberus.

His epistolis editis, nihil multis exoptatius esse intelligebam, quam ut aliqua accederet, vel commentatio, vel conjecturalis quaestio de integra Leibnitii machina arithmetica, ut eius imago legentium oculis quam lucentissime illustrata proponeretur. Neque vero quicquam lucis poteram addere praeter illud supplementum Hannoviense, mihi transmissum

officiosissime et studiosissime scriptum a doctissimo Grotefendio. Si quorum interest plura cognoscere, iis non dubito quin e tabulario Petri M. Petropolitano, ubi machinae exemplar exstat, eius aliquod simulacrum delineatum aut fictum exhibeatur. Deinde supervacaneum esse arbitrabar adnotationem adiacere, qua quae per se satis clara est oratio explicaretur, aut, sicubi fugitivo stylo scripta videretur, tironum caussa scribilinginis notam adscribere. Nihil enim magis est putidum, quam animos magnis rebus intentos rimando ad parva avocare. Ac nonnulla, quae in illis fortasse notabilia quibusdam videntur, a scribendi celeritate excusationem habent, et vel familiari quadam dicendi brevitate, qualis Tulliana est in epistolis ad Atticum, probantur.

Itaque quicumque Leibnitium, patriae et urbis nostrae unum excellentissimum decus, magni habent, hos omnes et Scholae nostrae *Patronos* ac *Curatores* ea qua par est observantia colendos itemque *Tribunos* vigilantissimos, *Fautores* bonarum artium et nostros, *Amicos* et *Cultores* litterarum honoratissimos, rite invitamus, ut frequentes intersint Leibnitii natalitiis sacris ducentisimis apud nos die Iulii I. inde ab hora VIII. matutina ritu scholastico celebrandis.

Ac primum quidem inventutis nostrae nunc princeps Henricus Ferdinand de Koppenfels Lips. Leibnitii laudes suo earmine Germanico dicet; tum Exc. O. Marbach Professor regius idemque Mathematices et Physices in gymnasio nostro Doctor oratione vernacula de viri eximii meritis aget, denique ego sex discipulis praemia assignabo, de vita Leibnitii quaedam praefatus. Nec deerunt actioni discipulorum cantilenae.

Favete, venite, salvete!

Leibnitzische Rechenmaschine mit Aenderungen von Teuber.




Fig. II.



Fig. III.



J. V. L. Leibniz

Godefridus Guilielmus
Leibniz

BWV L

Staatshandbuch

von Dr. phil. h. c. h. Dr. phil. h. c. h. Dr. phil. h. c. h.

Verlag von J. Neumann, Neudamm

Das Staatshandbuch ist ein Werk, das die Grundlagen der Staatslehre darlegt. Es behandelt die Entstehung, Entwicklung und Organisation des Staates. Die ersten Kapitel befassen sich mit der Geschichte des Staates und der Entwicklung der Staatsformen. Im Zentrum stehen die Prinzipien der Staatsorganisation, die die Beziehungen zwischen den verschiedenen Staatsorganen regeln. Ein besonderer Schwerpunkt liegt auf der Darstellung der Rechte und Pflichten der Staatsbürger. Das Werk ist in drei Hauptteile gegliedert: der erste Teil behandelt die allgemeine Staatslehre, der zweite Teil die Verfassung und die Organisation des Staates, und der dritte Teil die Verwaltung und die Ausführung der Staatsgesetze. Das Staatshandbuch ist ein grundlegendes Werk für die Staatslehre und die Politik. Es ist in drei Bänden erschienen, die jeweils 100 Seiten umfassen. Der erste Band enthält die allgemeine Staatslehre, der zweite Band die Verfassung und die Organisation des Staates, und der dritte Band die Verwaltung und die Ausführung der Staatsgesetze. Das Werk ist in deutscher Sprache verfasst und ist in der deutschen Literatur als ein der wichtigsten Werke der Staatslehre angesehen.

Dr. phil. h. c. h.